



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-129692-p0001-2

DFG

8934

1772, 24.

DEFINITIONEM
ALIENATIONIS QVAE IN
MVTVO FIERI DICITVR

EXHIBET

ET

DISPV TATIONES PVBLICAS
IMPOSTERVM HABENDAS

INDICIT

CHRISTIAN GOTTLLOB EINERT

IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE
DOCTOR.



DEFINITIO
ALIENATIONIS, QVAE IN MVTVO
FIERI DICITVR.



§. I.

Variae et multiplices sunt rationes, quae Iureconsultum impellunt, ut accuratam et amplam sibi cognitionem linguae latinae comparet, non solum eius, quae antiquis temporibus usurpata, in illis scriptoribus deprehenditur, quos vulgo classicos appellant; sed nec ignarus esse debet eius latinitatis, quae post

A 2

anti-

IV

antiquam elegantiam et puritatem neglectam, sensim invau-
luit, recentioribusque temporibus crebro tum apud alios,
rum potissimum in ICTORUM libris est adhibita. Praeterea
ICTORUM verba solennia, et verborum visitatorum et com-
muniū immutatam notionem cognitam habere debet.
Nam ut quaelibet ars et scientia quaedam habet verba artis
propria, quibus neglectis nemo in ea arte aliquid efficere
aut intelligere potest; Ita in primis apud ICTOS saepius talia
occurunt, quae absconditum sensum, et ab ysu communi
alienum habent. Quis enim libros v. c. Grammaticorum,
quis eorum animaduersiones, commentariosque intelligeret,
nisi accuratam habeat scientiam verborum, quae in eorum
scriptis occurunt? Quid porro causae est, cur libri Ma-
thematicorum, quanquam maxime perspicue et aperte sint
scripti, a tam paucis legantur et intelligentur, quam quia
propriis et a consuetudini vulgari abhorrentibus, et notis
nemini, nisi istius scientiae peritis, vtuntur verbis. Eodem
modo se in iure habet. Modo enim occurunt verba elegan-
tissime usurpata, modo vtuntur obsoletis, modo notiones
nouas, vimque singularem verbis tribuunt, modo sequun-
tur consuetudinem et sermonem recentiorum aetatum, modo
denique propriis et artis vocabulis vtuntur. Inde apparet
neminem in IURISPRUDENTIA aliquid efficere posse, nisi horum
omnium sit peritus, accurateque in ea addiscenda lingua
versa-

versatus. Omittam pluribus exemplis meam sententiam confirmare. Vnum tantum de alienationis vocabulo hoc tempore elegi, e quo clare apparebit, omnem dissensionem interpretum circa mutuum, vtrum alienationem contineat, ex nullo alio fonte, quam ex non satis ponderata verborum vi, potestate et vtendi vicissitudine, quam in primis *alienationis* vocabulum expertum est, promissa.

§. II.

Cum enim antea ICti communi quasi consensu in mutuo alienationem fieri statuissent, obstitit inopinatus ICtis Salmasius, cui nec acerrimus ipsius aduersarius Sengeberus laudes denegavit, sed in omni genere eundem clarissimum praedicauit, cuius vel nomine solum legentium animos accendere potuisset. Nec negauit is tantum, mutuum alienationem esse, sed sententiam etiam suam tam graibus argumentis firmauit, ut multi quidem ICti, frustra tamen, ea remouere conarentur. Tandem maiori vi et audacia Polycarpus Sengeberus se opposuit, quem nec doctrina defecit, nec animus, tanti viri auctoritatem acrius oppugnandi. Mihi tamen haec de mutuo dissensio facilius componenda videtur, si modo discrimen inter ius na-

VI

turae et ciuile teneatur, tempora rite distinguantur, et di-versus alienationis sensus curatius inuestigetur. Itaque, quatenus in mutuo alienatio concurrat, nunc et ex iure naturae, et in iure ciuili ex diuersa temporum ratione eruere studebimus, et cum primo in iure naturae vere fieri alienationem, in iure ciuili autem antiquissimis temporibus in mutuo alienationem non fuisse comprobauerimus, Iusti-niani tamen aetate, mutuum alienationem continuisse, con-firmabimus. Sed praefat ante omnia ipsam definitionem mutui ponere.

§. III.

Ex descriptione igitur mutui, quae legitur in pr. I. quibus modis re contrahitur, haec formari potest defini-tio: Est contractus, quo res fungibilis ita alicui datur, vt eius fiat, et is quandoque tantundem in eodem genere restituat. Iam quanquam cuique facile largiamur, et res ipsa suadeat, vt sic statuamus, ius naturae arbitaria hu-ius definitionis discrimina, ab ingenio Iureconsultorum profecta, veluti inter contractus et pacta minime aut agno-scere aut recipere; tamen vtique hoc vel ex iure naturae intelligitur, in eiusmodi conuentione, qua res ad alterum sic transfertur, vt in genere tantundem aliquando resti-tuantur,

tuatur, vere fieri plenam, et quae iuste ita appellari possit, alienationem. Cum enim alienatio sit translatio dominii, dominium autem sit ius extendi atque disponendi de re, continuo apparet, quia in mutuo illud ius transferetur, transferri etiam dominium, et sic vere fieri alienationem. Porro istud etiam est notum, in iure naturae dominium nunquam ultra possessionem durare, contra possessori plenum ius et libertatem extendi disponendique, nisi speciali pacto ius et libertas imminuta et restricta sit, competere. Igitur, quia in mutuo possessio transferitur a priori domino ad alterum, simul perspicitur per translationem possessionis ipsam rem per alienationem in dominium transferri. Ergo apparet, si quidem haec res e iure naturae tantum diuidetur, utique Salmatii sententiam, qui in mutuo alienationem fieri negavit, minime esse veram, sed repudiandam.

§. IV.

Iam ad leges Romanas hanc quaestione exanimatis planum fit, antiquissimis quidem temporibus in mutuo alienationem factam fuisse nullam. Etenim historia docet, tantam fuisse Romanorum arrogantiam, ut cum in omnibus fere aliis gentibus antecellere cuperent, etiam res quasdam

VIII

quasdam suae potestati proprias praecipuasque sibi sumerent, forte a mancipiis ut praecipua specie, mancipi dictas. De illarum quidem natura et conditione, quanquam Icti magnopere discrepant, in eo tamen conueniunt, eorum dominium cum solennitate quadam a ciuibus Romanis translatum fuisse. Quae enim res sine mancipatione tradebantur, naturaliter quidem acquiri poterant, ciuiliter haud aequē, et ideo *in bonis tantum*, non autem *in dominio*, quod solis rebus mancipi proprium statuebant, esse dicebantur. Id quoque testatur Cicerō in Topic. Cap. 5. *Abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexus, aut in iure cessio.* Ad quem locum Boethius: *Omnis, inquit, res, quae abalienari possunt, id est, quae a nostro ad alterius transfere dominium possunt, mancipi dictae sunt. Mancipi res veteres appellabant, quae ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret solennitatem.* Et variis exemplis comprobauit Briffonius de V. S. Lib. XI. mancipientium pro alienatione ipsa, dominiique ex iure Quiritario per mancipationis solennitatem facta translatione a veteribus usurpatum fuisse. Nec Theophilus dissentit, qui, ut nomen saltem esset iuri, quod in rebus nec mancipi locum habet, illud *dominium*, improprie quidem, sed ab eo, quod in bonis esse istae res dicebantur, *bonitarium* vocat, Lib. I. Tit. 5. §. 4. Ἐστιν δὲ, ως εἴπον, Φυσικὴ δεσπότης.

δεσποτεία, καὶ ἔννομος δεσποτεία: καὶ οὐ μὲν Φυσικὴ λέγεται
in bonis, καὶ οὐ δεσπότης βουνάριος, οὐ δὲ ἔννομος λέγεται
iure Quiritium, τετέσιν ἐν τοῖς δικαίοις τῶν Κείριτῶν (Ρω-
μαίων). Κείριται γὰρ οἱ Ρωμαῖοι ἀπὸ Ρωμύλος, ἐξ οὗ τὴν
ἀρχαιογονίαν ἔσχησαν οὐ δὲ δεσπότης, iure Quiritario.
Εἰ δέ τις τὰς ἀμφοτέρας ἔσχε δεσποτείας, ἐλέγετο, pleno
iure dominus, τετέσι τελέων δικαίων δεσπότης, ὡς ἔχων
ἀμφοτέρας, τὴν ἔννομον, καὶ τὴν Φυσικὴν. Iam vero,
quaenam fuerint hae res mancipi, Vlpianus refert Tit. 19.
§. I. *Mancipi res sunt, (ait) praedia in Italico solo, tam
rustica, qualis est fundus, tam urbana, qualis domus. Item
iura praediorum rusticorum, velut via, iter, actus, et aquae
duellus. Item serui, et quadrupedes, quae dorso colloue do-
mantur, velut boves, muli, equi et asini. Caeterae res nec
mancipi sunt.* Haec verba satis diserte declarant, nummos
ad res mancipi non relatos, ideoque nec in dominio le-
gitimo fuisse. Cum vero alienatio veteribus esset auctore
Vlpiano l. 119. π. de R. I. non quaelibet possessionis omis-
sio, sed ut supra docuimus, solennis rerum mancipi trans-
latio, facili negotio intelligitur nummos, cum in dominio
proprie sic dicto olim non fuerint, legitimo quoque modo
in alios transferri, seu quod idem est, alienari haud po-
tuisse. Qui itaque nummi mutuo dabantur, in posse-
fione quidem et in bonis accipientis erant, sed non in

X

dominio. Ideoque veteres etiam tam caute et sollicite in mutui descriptionibus, (quarum multa exempla collegit Brissonus de V. S. Lib. XI.) ab alienationis vocabulo abstinuisse videntur, quia, durante inter res mancipi et nec mancipi discriminē, nulla in eo contractū alienatio vera locum habere poterat. Non ausim tamen hoc loco provocare ad verba Vlpiani in l. 55. π. de solut. *Qui sic solvit, ut recipere, non liberatur, quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur,* quae licet Salmasius magnopere vrgeat, vereor tamen, ut ad probandam sententiam quid facere queant, cum Ictus in isto capire longe aliam speciem tradiderit, nec de mutuo, sed de solutione eiusmodi verba fecerit, *qua sic dantur nummi, ut non tantundem, quemadmodum in mutuo, sed eadem numerorum corpora restituantur.*

§. V.

Huic quidem sententiae ipsas leges aduersari, obiici posset. Quod enim Paulus ait, l. 16. π. de reb. cred. *Si socius propriam pecuniam mutuam dedit, omnimodo creditam pecuniam facit, licet caeteri diffenserint, quodsi communem numerauit, non alias creditam efficit, nisi caeteri quoque consentiant, qui suae partis tantum alienationem habuit, contra nos*

nos probare videtur, cum partis saltem socii propriae alienationem fieri affirmet, in mutuo utique concurrere alienationem. Idemque Paulus in l. 52. π. de pecul. innuisse videtur. Quamvis vero, ut supra monuimus, ICti verba sibi propria habeant, illud tamen inficias iri nequit, eos interdum, solenni verborum significatione neglecta, populari sensu eadem etiam adhibuisse, et modo propri, modo technice locutos fuisse. Sic enim *possessionis* vocabulum, quod plane proprio sensu a ICtis usurpatum in l. 24. π. de acquir. poss. pro naturali etiam auctu possidendi in l. 1. π. de acquir. poss. accipitur. Tale exemplum instrumenti verbum pariter offert. Hoc enim ICtis proprie erat quodlibet testimonium, tam personae quam rei, l. 1. π. de fide instrum. Interdum vero et sumitur pro eo, quo quis ad operandum utitur, ut potissimum in tit. π. de instruct. vel instrum. leg. Nequaquam igitur mirum, idem *alienationi* contigisse, et interdum eam pro quacunque translatione rei sensu populari dictam fuisse, licet dominium verum accipienti non acquisitum fuerit. Nolo vero in eo mihi credi, sed Paulo sit fides l. 8. §. 2. π. de alienat. iud. mat. sic scribenti: *Alienare intelligitur etiam, qui alienam rem vendidit.* Hoc enim loco, neglecta verbi subtilitate, plane impropio sensu *alienationem* pro nuda rei translatione posuit, cum is, qui alienam rem vendit, pro-

XII

fecto rei venditae dominium transferre nequeat, quod ipse non habuit.

§. VI.

Recesserunt tamen sensim sensimque Romani ab hoc rigore solennitatum, quas in alienatione rerum mancipi adhibere consueuerant, et postea etiam mancipationem rerum, quae natura sua non mancipi erant, admissem legimus. Quippe cum distinctionis istius in res mancipi et nec mancipi ratio, ab insigniori et pretiosiori patrimonio Romanorum, quod dignum tantum esset possessore Romano, desumpta esset, in quo transferendo plus curae et sollicitudinis adhiberi vellent, quam in iure viliorum rerum, quae nec mancipi erant; Alias tamen deinde res, pretiosas eadem cura dignas iudicabant. De margaritis certe, postquam earum usus Romae inualuisset, et insigne adeo earum pretium factum esset, ut Plinio auctore H. N. L. IX. c. 35. *principium cu[m]enque omnium rerum margaritae tenerentur*, non dubito, per mancipationem eas fuisse alienatas, idemque Plinius affirmit, cum de margarita eodem loco ait: *Heredem sequitur, in mancipatum venit, ut praedium aliquod*. Omnes tamen res pretiosas eodem loco habitas fuisse et Bynkershoekius (in Tr. de reb. manc.

et

er nec manc.) et ego dubito. De nummis certe nullum vestigium adest, eos vel inter res mancipi vñquam relatōs, vel mancipatione alienatos sūsse. Itaque, cum nec hoc tempore nummi in dominio legitimo essent, quo res mancipi tantum continebantur, nec dominii eorum translatiō, seu alienatiō, quae in mutuo a plerisque indistincte fieri, statuitur, vlo modo fingi potest.

§. VII.

Atque haec natura mutui et alienationis fuit usque ad Iustiniani aetatem. Hic vero, cum iam pridem, qui erant in Orbe Romano, ciues Romani essent effecti, l. 17. π. de statu hom. consentaneum existimauit, omnes quoque prouincias et regiones huius orbis, Iuris Quiritium reddi particeps. Ideoque, cum et antiquas fabulas auersaretur Iustinianus Prooem. I. §. 3. et rebus locisque omnibus similem ordinem esse vellet, inutiles istas ambiguitates et differentias, i. e. omne discrimen inter res mancipi et nec mancipi, dominium Quiritarium et Bonitarium sustulit, l. vn. C. de nudo iure Quirit. toll. et l. vn. C. de usucap. transform. Quo factum est, ut nunc quaelibet res, extra commercium non posita, in dominio haberri, idque sine solennitatibus ad alios sola traditione transferri,

B 3

h. e.

XIV

h. e. res alienationis capaces esse potuerint. Quotiescumque igitur nummi sic traduntur, vt non eadem species, sed tantundem reddatur, cum per traditionem iure Iustinianeo dominium acquiratur, atque accipiens omne ius pro lubitu de iis disponendi, adipiscatur, sine quo nullus foret vsus mutui, alienatio eorum facta est, quicquid tandem Salmasius in contrarium protulerit. Huius vero argumenta nolui latius examinare aut refutare, veritus quippe, ne, cum a Sengebero valide ea reiecta sint, letoribus molestia afferatur.

§. VIII.

Cum itaque verum alienationis sensum curatius ponderauerimus, iure quidem naturali in mutuo veram alienationem contingere, iure vero Romano non quoquis tempore, certe usque ad Iustiniani aetatem, discriminé inter res mancipi et nec mancipi, dominium Quiritarium et Bonitarium nondum sublatu, in mutuo alienationem contineri putamus. Et sic quoque intelligo Cel. Sammetum, qui in libello de Hypobolo elegantissime conscripto, collarii loco adiecit: *Mutuum origine sua et de iure Romano omnino non esse alienationem.* Quare, quum haec sententia et legibus, et tanti tamque periti iuris civilis Viri auctoritate

ritate nitatur, non est, quod nobis quisquam succenseat aut reprehendat, si eandem sententiam fecuti, argumentis eam comprobare, eique nouum robur addere studiimus.

Sed nunc dicendum est de eo, cuius de causa hanc disquisitionem praemisi. Indicenda quippe est benevoli mihi concessa facultas disputationes super singulis propositionibus et *pro schedula* instituendi, eademque opera mentione eorum facienda, qui huius rei causa nomina apud me professi sunt. Ii vero sunt

**CHRISTIANVS GODOFREDVS
BERNHARDI,**

FRID. MISN.

**AVGVSTINV S HENRICVS
FRANK,**

PORT. MISN.

**FRIDERICVS AVGVSTVS
KLINKHARDT,**

MERSEBURGENS.

IOAN.

XVI

IOANNES CHRISTIANVS
KVNA^D,

IOANN. GEORG. POLIT.

ADOLPHVS FRIDERICVS
MAECKEN,
FRAVENSTEIN. MISN.

IOANNES CHRISTIAN
PVTSCHEL,

ROCHLITZ. MISN.

Vt vero hos doctissimos atque ornatissimos iuuenes , me
moderatore atque duce publice disputatueros , Vos , Prae-
stantissimi Commititones! beneuela et honorifica praesentia
Vesta dignari velitis , omni , qua par est obseruantia rogo
atque invito . Dabam Lipsiae d. xxx. Octbr. ccccclxxii.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA




Leipzig, Diss., 1772 A-R



f

TA-70L

nur 23. Stet. höher verku.





8934
1773, 24.
**D E F I N I T I O N E M
ALIENATIONIS QVAE IN
MVTVO FIERI DICITVR**

E X H I B E T

E T

**DISPV TATIONES PUBLICAS
IMPOSTERVM HABENDAS**

I N D I C I T

CHRISTIAN GOTTLÖB EINERT
IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE
DOCTOR.